



Nr. 14

28


DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM
SECUNDA
DE
JUSTITIA DEI,
PECCATI VINDICE,
TANQVAM SATISFACTIONIS
FUNDAMENTO:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die *Julii hujus MDCCXIX. anni,*
PRAESIDE
JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.

Placidæ συνθετολογίαν disquisitioni
submittit
RESPONDENS
FRIDERICUS WILHELM. Wenkel/
MAGDEBURGENSIS, S. THEOL. CULTOR.

ad

HALAE SAXONUM,
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFI, Acad. Typ.





SECTIO I.
**DE SENTENTIA VERA EC-
CLESIÆ EVANGELICÆ IN DOCTR-
NA DE JUSTITIA DEI.**

PROPOSITIO GENERALIS.

Justitia Dei respectu peccati, tanquam mali culpæ, necessario est vindicativa, pro ratione reatus peccatori malum poenæ infligens. Cujus axiomatis generalis veritatem evincunt propositiones, quæ sequuntur, speciales.

SERIES PROPOSITIONUM.

Prima de natura peccati, tanquam
objeto justitiae vindicis.

tiam vindicem manifestante,

Secunda de natura Dei sanctissima
& justissima, tanquam funda-
mento justitiae vindicis.

Septima de Satisfactione Christi,

Tertia de proprietate legis divine,
tanquam norma & charaktere
justitiae vindicis.

justitiam vindicem supponente.

Quarta de jure Dei summo & of-
ficio ejus judiciali.

Octava de gloria divini amoris

Quinta de exemplis vindictæ evi-
dentiissimis.

per justitiam vindicem in mis-
sione filii demonstrata.

Sexta de indole sacrificiorum, justi-

Nona de conscientia dictamine, ju-
stitiam Dei vindicem compre-
hendente.

Decima de more omnium gentium

universali in placanda justitia

Dei vindice.

A 2

PRO.

PROPOSITIO I.

Justitiam Dei vindicem probat i.
natura peccati $\alpha\nu\mu\alpha$ & $\alpha\nu\tau\mu\alpha$, reatu suo
Dei vindictam provocans.

§. I.



Eccatum est $\alpha\nu\mu\alpha$ i Jo. III, 4. in sensu privativo & positivo. Privative est $\alpha\nu\mu\alpha$, per quam totum genus humanum, cum participacione culpæ a protoplastis admissæ (de qua vid. Dissert. III.) illustri Dei imagine, tanquam lege per ipsam creationem insita, & ipsa Dei gloria, cuius $\alpha\nu\alpha\nu\gamma\alpha\sigma\mu\alpha$ erat in ista imagine, privatum est Rom. III, 23. de qua corruptione horribili vide ibidem v. 9. & seqq. tristī uniuscūque experientia eam comprobante.

§. II.

In sensu autem positivo hæc ipsa $\alpha\nu\mu\alpha$ est simul gravissima $\alpha\nu\tau\mu\alpha$. Adeo enim natura humana post lapsum non amplius est $\epsilon\nu\mu\alpha$ - $\tau\mu\theta\omega$, uti per ejusdem imaginem et beneficio creationis erat, ut extreme sit $\alpha\nu\tau\mu\alpha$, $\iota\gamma\alpha\zeta\mu\epsilon\nu\tau\mu\alpha$, legi Dei ipsique Deo maxime repugnans, immo $\epsilon\chi\theta\mu\alpha$ $\epsilon\epsilon\tau\mu\theta\omega$, inimicitia adversus Deum, pro eo, quod in illam ipsa nascendi sorte transfusum est, $\phi\epsilon\mu\mu\mu\mu\mu\mu$ Rom. VIII, 7. Atque ita verbum $\iota\pi\mu\alpha\mu\mu\mu\mu\mu$, quod Apostolus ibidem negative addit (εχ $\iota\pi\mu\alpha\mu\mu\mu\mu\mu$) explicandum simul est per $\alpha\nu\tau\mu\alpha\mu\mu\mu\mu$, seu ita accipiendum est de negata subjectione,

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

one, ut ejusmodi intelligatur defectio, qua quis supremo Numini ejusque legi adeo non est subjectus, ut aduersus illud hostili plane animo rebellet.

§. III.

Quæ rebellionis vis & iniquitas sese tunc maxime prodit, quando latentior corruptionis sensus, a censura legis spirituali & acriori detectus & quasi irritatus, nil nisi indignationem, murmura & fremitus obvertit, indignatus, quietem suam, quam in Epicurea securitate habet, interturbari; ideoque vel ipsum Deum de throno suo it dejectum, nihil eorum, quæ Deo adversa sunt, intermittens, & omnia suo disponens agensque arbitrio. Cujus capitalis odii exemplum habemus speciale in hostibus Christi, utpote illo ad truculentissimam ejus necem usque inflammatis. Et quid, nisi bella & opprobria aduersus ipsum Deum, spirant improborum odia, quibus ipsius filios & hæredes excipiunt & divexant? Conf. Luc. X, 16. Act. IX, 4, 5. Nonne porro perpetuum rebellionis crimen est in illis corruptæ voluntatis affectibus, quibus, quæ nostræ sunt electionis nostrique consilii ac decreti, divinæ voluntati, per legem animis inscriptam & revelatam patefactæ, non solum anteferimus, sed opponimus quoque, ea contemta & conculcata. Atque ita ipsius satanæ, qui ab hostili in Deum odio nomen istud suum habet, & ideo *καὶ ἡξοχὴν ὑβρίς* dicitur (Matth. XIII, 28, 29.) naturam imitati, ab ea etiam ipsi non immerito *inimici Dei* appellamur Rom. V, 10. Col. I, 21. Jac. IV, 4.

§. IV.

Et hæc ipsa inimicitia satanica etiam tunc gravissime se prodit, quando Deus hominis amicitiam per-

6 SECT. I. DE SENTENTIA VERA
evangelium ambit, suam ipsi gratiam offerens. Hic enim homo, sibi ipsi in corruptione sua relictus, odio excipit vocantis ac convertentis gratiae motus, quia peccato mortem intentant. Quæ repugnantia naturalis si in morosam abeat, augetur hostilitas, adeo ut peccator motus istos proterve repellat, supprimatque & extinguat, ipsum etiam auctorem eorum, Deum, si posset, sublaturus,

§. V.

Quæ cum ita sint, videmus peccati *avutav* & imputatem usque ad ipsum rebellionis & læsa divinæ majestatis crimen gravissimum & universalem, secundum illud Pauli Rom. III, 19. *universus mundus est in obnoxio & reatu beati*, Deo est reus, seu pro reatu suo divino obnoxius est iudicio ad peccatum. Conf. c. V, 16. Atque ita in peccato, seu humano genere per peccatum corrupto, adest obiectum *justitiae Dei vindicis*. Sermo autem hic est de peccato in se ac statu suo considerato, sine respectu ad certa, eaque existantiora, delictorum genera, Dei vindictam provocantia. Quæ si naturæ peccati in se considerati addideris, non parum inde accessionis ipsius gravitas ac reatus habebunt.

PROPOSITIO II.

Justitia Dei vindex 2. probatur e natura Dei sanctissima, cum summo in res creatas, speciatim in humanum genus, jure conjuncta.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Dei sanctitas est ejusmodi perfectio essentialis, qua

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

7

qua Deus non potest non id, quod impurum, seu peccato, ineffabili illo malo, corruptum est, tanquam fœdissimum βδελυγμα, detestari ac a communione sui removere. Deprehendimus hanc proprietatem etiam in regenitis, e divinæ indolis participatione ortam. Hi enim quo magis e principio gratia in sanctimonie studio habituque proficiunt, eo magis ab impuris impiorum hominum moribus ac a sordido ipsorum confortio abhorrent, ipso sanctitatis amore duci. Et hac ratione simul intelligimus proprietatem odii adversus peccatum, uti in regenitis Dei filiis, sic multo magis in ipso Deo; scilicet illud esse eum sanctitatis actum, quo haec, quod sibi contrarium est, abhorrendo detestatur. Hoc est, quod scriptura sacra passim indicat, ut Psalm. V, 1. seqq. *Tu non es Deus, qui delectetur improbitate: malum non commorabitur coram te: odiisti omnes operatores iniquitatis.* u. t. λ. & Hab. I, 3. *Purior es oculis, quam ut adpicias malum.*

§. II.

Dei vero sanctitas non est sine iustitia, & quidem vindicativa. Et haec ejusmodi est perfectio divina, qua Deus hominem peccatorem summe detestabilem, ab ejus communione abhorrens, non solum sibi ipsi suæque miseria relinquit (quod sanctitatis est) sed eidem etiam pro ratione mali culpe malum poena decernit, ita ut ad poenam damni poena sensus accedat, ipsiusque damni sensum augeat. Quod sanctitas Dei adjunctam habet iustitiam, tribuendum est juri ipsius summo, quod in res eratas habet. Quod vero iustitia haec vindicativa indolis est, ejus debetur objecto, peccato: quod quia reatu cumulatissime est oppletum, etiam poena est obnoxium. Conf. Jos. XXIV, 19. Ignis semper

8 SECT. I. DE SENTENTIA VERA

per ejusdem est naturæ, sive liquefaciat ac refocillet, sive induret aduratque pro diversitate objectorum. *Talis lux, seu ignis, sensu eminentissimo est Deus, nimirum uti illuminans & recreans, sic etiam consumens נאכלה הוי ignis consumens ipse Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29. non minus, quam refocillans, seu amor i. Jo. IV, 8.*

§. III.

Hinc facile cognoscitur, quid in Deo sint *odium, ira, vindicta*. *Odium* enim est ea sanctitatis & justitiae affectio, qua Deus contraria omnia, seu omne malum culpæ, infinite aversatur & aversando a se removet. *Ira* est eadem sanctitatis & justitiae affectio, seu proprietas; quæ ira vocatur, in quantum odium, seu indignatio, majori gradu concipitur, vel ad effectum, seu exsecutionem, tendit. *Quo* majoris gradus & exsecutionis respectu *sæpe* etiam *aestus* ac *furoris* nomine ex primitur. *Vindicta* est ipsa justitiae vindicativæ, seu odii & iræ, exsecutio, in irrogatione poenæ posita. *Pœna* vero est ipsum malum, vi justitiae vindicativæ ipsiusque vindictæ homini peccatori ob malum culpæ infligendum. De exsecutione odii, iræ & furoris, quæ est in vindicta, inter alia agunt in Apocalypsi *phialæ iræ* c. XV, 6, 7. XVI, 1. seqq. conf. c. XIV, 10.

§. IV.

Inter multa vero alia præcipue sequentia Scripturaræ loca de justitia vindice notanda sunt: Exod. XX, 5. in ipfa *votoðeotia*: *Ego Jehovah Deus tuus zelotes, visitans iniuriam patrum super filios, in tertiam & quartam generationem, quantum ad oores mei attinet.* conf. v. 7. & c. XXIII, 21. *Sontes nequaquam absolvet, visitans iniuriam patrum super filios &c.* Rom. III, 5, 6. *Num injustus est Deus, qui infert pœnam? absit: aliquid quomodo judicabit mundum?*

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

9

dum? Deut. IV, 24. *Jehovah Deus tuus est ignis consumens, Deus zelotes.* Conf. Hebr. XII, 29. In primis notandum hic est locus Hebr. X, 26, 27. *Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam veritatis cognitionem, non amplius pro peccatis superest sacrificium, sed terribilis exspectatio judicii & ignis zelus, adversarios consumunturus.* Porro v. 28, 29, 30. *Si enim is, qui transgressus est legem Moysis, per os duorum aut trium testium sine miserationibus moritur; quanto putatis acerbiore suppicio dignus censemur, qui filium Dei conculcavit &c.* Novimus enim eum, qui dixit: *mea est vindicta, ego rependam, dicit Dominus.* Et rursus: *Dominus judicabit populum suum.* Horrendum est incidere in manus Dei vivi. Conf. Deut. XXXII, 35. Rom. XII, 19. Huc pertinent plurimæ Mosis & Prophetarum comminationes, complementum suum in populo immorigero aliisque gentibus naëtæ.

§. V.

Manifestum itaque est, in omnibus locis, quæ de odio, ira, furore & vindicta Dei agunt (quorum per magnum esse numerum, quis nescit?) esse argumentum pro justitia Dei vindice. Et inter ea, peculiarem meretur observationem illud Pauli effatum Rom. I, 18. *ubi ira Dei manifestari dicitur e celo adversus omnem impietatem.* Hic enim Paulus manifestationem iræ e celo opponit vanissimæ atheorum & Epicureorum hominum persuasionali, qua horrenda Dei judicia, & innumera poena mala, quæ partim generatim huic universo post lapsum incubant, partim hanc atque istam gentem, urbem, familiam aut personam premunt, cœco easui, seu fortunæ, adscribunt, aut ad causas mere naturales referunt. Quem crassum errorem demturus Apostolus testatur, iram Dei, in varia judicia efferve-

B

scen-



10 SECT. I DE SENTENTIA VERA
scentem, manifestari *e celo*, seu mala ista evenire *divinitus*, per singularem irati Numinis providentiam & justitiam hominum peccata ulciscentem. Quo sensu olim Sodoma cum vicinia sua per pluviam sulphuris ac ignis *e celo* demissam fuit subversa, in exemplum aliorum per omne *ævum* Gen. XIX, 24. ep. Jud. v. 7.

§. VI.

Cum vero in Dei attributis nulla sit contrarietas, seu repugnantia, nulla mutatio; facile potest colligi, locutiones istas de *Dei odio, ira, furore & vindicta Deorum*, h. e. purissime & sine ulla imperfectione, esse intelligendas, & attributum *justitiae* nequaquam repugnare attributo *amoris*, sed hoc potius illo illustrari & declarari, h. e. attributum *justitiae & sanctitatis* indicare, *qualis sit Dei amor*, scilicet a *justitia & sanctitate* haud alienus, sed cum utraque quam perfectissime conspians. Quid? quod in ipsa *vindicta* sit exercitium *amoris*, nimurum erga id, quod sanctum & justum est & erga ipsam justitiam. Unde videoas, in lege Dei subinde utrumque conjungi, *benedictionem & maledictionem*. De utriusque harmonia vide Exod. XXXIV, 6, 7. conf. Nahum. I, 2, 3.

§. VII.

Nec parum auctoritatis *justitiae* Dei vindici adserit *jus Dei supremum* in genus humanum, cum *sanctitate* ejus conjunctum. Quod Dei *jus* cum ipso in creaturas naturale sit, ideo est *immutabile & indispensabile*, nostrumque obsequium adeo facit necessarium, ut ab eodem absolvī haud possimūs, inducta, si illud desit, ad poenam subiectam obligatione; quandoquidem immota veritatis probatique juris regula est, *pœnam naturæ esse vicariæ*, seu in *intermissi officii locum succedere*. Atque ita

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

11

ita postulatio obsequij & exactio poenæ ad Deum vi juris
supremi ex quo pertinacit. A quo jure si Deus recederet,
recederet quasi a se ipso, seque negaret ipsum, utpote
hoc pacto negaturus, se esse Deum & Dominum, & cre-
aturam esse creaturam, a se dependentem. Sed de hoc
argumento, ad officium Dei judiciale extenso, vide dein-
ceps Propositionem IV.

PROPOSITIO III.

Justitia Dei vindex probatur 3. e pro-
prietate legis divinæ, quæ est imago &
character voluntatis & naturæ divinæ.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Lex divina habet vim obligandi ad præstandum obsequi-
um, aut ad peccati, si violetur, obsequii loco in satisfactionem
subeundam. Vide Deut. XI, 26, 28. XXVII, 15. sqq. in primis v.
26. collat. Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37. sqq. Unde legis impre-
catio, seu maledictio, quid sit, facile colligitur. Scilicet est ea
dictamen & declaratio poenæ, violatione legis promeritæ & pro
istiis culpi ratione violanti infligendæ; & poena quidem, quæ
omnium malorum, corporalium & spiritualium, temporalium
& aeternorum, cumulum complectitur; quemadmodum bene-
dictio omnium bonorum, præcipue spiritualium & aeterno-
rum, affluentiam conferenda declarat. Conf. Matth. XIX, 16, 17.
Gal. III, 12, 14. Eph. I, 3. 1 Pet. III, 9.

§. II.

Jam vero divina lex est ipsa Dei voluntas sanctissima, lit-
teris expressa, & exactissima divina justitia regula. Quæ si
peccatum decernit in sui violatores, hanc uicique ipse Deus de-
crevit. Atque ita justitia Dei est vindicativa; & quidem pro

B 2

natura



SECT. I. DE SENTENTIA VERA

natura sua immutabilis; quandoquidem Deus semetipsum negare nequit, nec ullus apex de legis maledictione cadere potest, quin impleatur, secundum ipius Christi effatum Matth. V, 17, 18. Luc. XVI, 17. Poenam vero intelligi maxime spiritualem & aeternam, indicat natura cum legis, tum hominis: legis, qua spiritualis aeternaque sanctitatis ac veritatis est; hominis, qui spiritu, seu anima, praeципue peccat, & secundum eam redditio corpore aeternum est duraturus.

§. III.

Et hoc poena malum, quod lex peccatoribus minatur, pa-
sim denuntiatum videoas: primum quidem (ut de lege po-
sitiva protoplastis data nihil nunc dicam) in ipsa legis pro-
mulgatione Exod. XX. deinde in ejusdem declaratione, quam
integrum exhibit Deuteronomium; vide speciatim c. XXVII,
26. nec non in ejusdem exsecutione, maxime solenni ista &
universali, qua in extremo judicio futura est. Idem com-
probat officium Christi *hilaisticum*; utspte cuius omnis nervus
est in eo, quod nos a maledictione legis redemit, factus pro
nobis maledictio, seu sponsor, qui reatum nostrum sibi im-
putatum abstulit. Qua de re deinceps in Dissertatione V.

§. IV.

Leges divinae & precepta Dei pro fundamento habent vel
ipsam Dei *naturam* ac voluntatem perfectissimam, justissimam,
sanctissimam & *inmutabilem*; vel solum ejus *arbitrium*, pro
diversitate respectuum *mutabile*. Prioris generis leges sunt ne-
cessariae, & quia pro indole sua morali ad Dei cultum ipsum-
que jus naturae per se pertinent, sunt indispensabiles, ita ut
Deus ab ipsarum obligatione, salva natura sua, quenquam
absolvere nequeat. Posterioris vero generis leges & constitu-
tiones sunt arbitriae, qua, quia certas tantum personas cer-
tis respectibus & ad tempus obligant, dispensationi seu abso-
lutioni ab obligatione, aut tolerantiae, locum relinquunt. Cu-
jus

ECCLESIAEVANGELICÆ.

13

jus indolis erat circumcisio, Abrahamo quidem & posteris eius præcepta, ab Israelitis tamen in deserto sine excisionis reatu, aut poena, ob impedimenta Deo tolerante excusatus intermissa. Et hoc universum legum ceremonialium, ex parte etiam judicialium, apparatum apud Judæos pertinere, ipsa oeconomia veteris dispositio docet.

§. V.

Etiam arbitriaræ Dei leges contemtim habita & proterve violata reatum inducunt gravissimum, cum obligatione ad poenam subeundam necessaria & indispensabili. Cujus rei ratio est in *auditoria Dei legislatoris inviolabili*, ut & in obligatione hominis ad obsequium summa. Exemplum habemus in lege positiva de non comedendo vetita arboris fructu, uti & in modo dicta circumcisione aliquisque ritibus, speciatim iis, qui in esu agni paschalis observandi erant. Vide Gen.XVII, 14. Exod. XII, 15. Quod si vero legum arbitriarum transgressiones poenas induxerunt necessarias, has multo magis legum necessiarum & immutabilium, quæ natura mere moralis sunt, violatione induci, quis negabit? Utrarumque legum analogia respectu obligationis etiam in eo est, quod cuius legi arbitriaræ subsit indoles quædam legis moralis & necessariæ, & quod nulla lex arbitriaria violari queat, nisi cum conjuncta violatione legis alicuius moralis & necessariæ. Manifestum hoc maxime est in exemplo protoplastorum; utpote qui violata lege positiva & speciali, quæ de arboris usu data erat, simul contra legem insitam, necessariam & indispensabilem, quam in imagine Dei habebant, ita peccabant, ut hanc plane intra se destruerent.

§. VI.

Jam si lex, quæ naturæ est moralis & necessariæ, est immutabilis, multo minus ipsa Dei natura, quæ legis istius fundamentum constituit, est mutabilis. Atque ita Deus odio ha-

B 3

bet

SECT. I. DE SENTENTIA VERA

bet punitque peccatum non ex *voluntate libera*, sed ex *necessitate naturae sue*; non vero Stoica, sed tali, quæ negato facto cum libertate omnino consistit. Si enim illud tantum odisset e voluntate quadam libera & mutabili, posset illud etiam non odisse, seu amare; id quod vero natura ejus sanctissimæ repugnat. Deus pro justitia sua naturali & immutabili est ignis consumens, ideoque, objectum noctis justitiae sue vindicis, erga illud non eum indifferentia aliqua, seu cum electione, aut libertate inflammandi, aut non inflammandi versatur, sed illud ipsum necessario, seu per necessitatem naturalem, invadit. Obsequium enim legi & legislatori Deo præstandum, quia per naturam Dei immutabilem indispensabile est, haud præstatum, preter *avouias* suam, etiam in *avrovopias* & *avrovias* abit, judicia Dei provocans. Atque ita pœna huic reatu debite sunt indispensabiles & necessaria, seu salva Dei justitia condonari nequeunt, nisi intercesserit satisfactio; de qua suo loco in peculiari Dissertatione.

PROPOSITIO IV.

Justitia Dei vindex probatur 4. argumen-
to a jure Dei summo & ob officio
ejus, tanquam summi & justi judicis, ju-
diciali desumpto,

ILLUSTRATIO.

§. I.

Deo summam in humanum genus ius ac judicium com-
petere, ipsa senior ratio dictipat, creationis & conservationis,
atque ita etiam summi dominii, fundamentis nixa. Scrip-
ptura vero sacra idem innumeris fere in locis comprobatur. Vi-
deantur inter alia præcipue sequentia loca: Gen. XIX, 25.
An judicx totius terra non exerceret ius? Psalm. II. 9. *Deus
judicat*

ECCLESIE EVANGELICÆ.

15

judicabit populos: & v. 12. seqq. Deus est iustus iudex & Deus indignans toto die. Si non reversus fuerit [improbus] gladium suum acuit, arcum suum tetendit, & direxit eum, preparavit que sibi vasa moris & r. λ. Psalm. IX, 8, 9. Ἰehova preparavit ad iudicium thronum suum; idemque judicabit orbem iustissime, judicabit populos redissime. Ejusmodi locis abundare psalmos & scripta prophetarum, nemo nescit. Quare plurium allegatione supersedeo. In libris novi foederis videantur inter alia quæ occurunt. Matth. III, 10, 12. XII, 36, 37. XVI, 27. XXV. Act. XVII, 31. Rom. II, 5. seqq. III, 5, 6. & r. λ. Cum his aliisque locis confer omnino illud Mosis & Pauli de Deo: εὐδικίας ἐνδικόντος, ἡγώ ἀνταποδώσω, λέγει κύριος, mihi vindicta [competit] ego rependam, dicit Dominus. Deut. XXXII, 35. Rom. XII, 19. Hebr. X, 30, 31.

§. II.

Jam vero jus magistratus, tanquam boni & ab ipso Deo constituti iudicis, est legi conveniens potestas compensandi partim scelera adaequatis suppliciis, partim benefacta defensione ac beneficii. Et iustitia nihil est aliud, quam ipse usus hujus potestatis judicialis. Quis ergo dubitare posset de fundamento & usu iustitiae vindicativa? Quod enim iudicibus inter homines constitutis competit, multo magis proprium est Deo, summo hujus universi iudici, qui ordinem & officium iudicium subordinatorum per ipsum juris naturalis dictamen instituit, ejusdemque auctoritatem in sacro codice multis sanctionibus communivit.

§. III.

Quid? quod Deus, tanquam catholicus totius mundi iudex, universum terrarum orbem aliquando cum emphasi iudicabit, unicuique secundum statum & opera sua, quod justum est, tributurus. Quo in opere stupendo omne fere punctum feret iustitia vindicta. Et hoc est, quod, præter loca jam allegata,

SECT. I. DE SENTENTIA VERA

gata, plurima alia longa sacri codicis serie comprobant. Vide inter alia Psalm. XXVI, 13, 14. XCVIII, 10. Ies. II, 12, 19. XIII, 9, 10, 11. XVI, 15, 16, 24. Dan. VII, 9. seqq. Zeph. I, 14. seqq. Matth. III, 10, 11. &c. Item Act. XVII, 31. Rom. II, 5. seq. 2 Cor. V, 10. 2 Thess. I, 5. seqq. 2 Pet. II, 4. seq. Hebr. X, 27. seqq. Epist. Jud. v. 6. seq. v. 14, 15. & in Apocalypsi passim, in primis c. XX, 10. seqq. In quibus locis praeceps illud judicii divini momentum, quod hujus est disquisitionis, est attendendum, positum in severiore, justissima tamen, vindicta, qua damnatis prater poenam danni etiam poena sensus, quæ tamen determinari nequit, infligitur.

§. IV.

Nec prætereundum hic est illud justitiae vindicis, a judiciis humanis illustratæ, momentum, quod illa in *satisfactio-*
ne habet. Hanc enim in iis locum habere, nemo nescit. Immo quid ipsa poena est, nisi satisfactio publica? Vicaria autem est satisfactio, si quis rei culpa quasi in se translata eam sufficienti compensatione demat. Quam quando admittit & reo in absolutionem imputat justitia vindex, jam aliquod gratiæ temperamentum habet & exerceat. Sed de hoc suo loco,

PROPOSITIO V.

Justitia Dei vindex probatur 5. exemplis evidenter, quorum numerus quidem iniri potest.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Spiritus defeciores catenis caliginis in diem magni judicii majori poenæ servantur 2 Pet. II, 4. ep. Jud. v. 6.

Primi mundi impietatem & flagitia Deus post longam & frustra insumitam *μακροθυμίαν* aqua diluvii vindice ultus est. Gen. VII.

Regio-

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

Regionem pentapolitanam, in qua Sodoma flagitiis maxime cooperta erat, Deus flamma sulphurea ad interencionem delevit. Gen. XIX.

Ger & Onan, ordinis divini in propagatione generis humani violatores nefarii, suppicio θειλάτῳ, seu ab ipso Deo αὐτοῖς immisso, perierunt. Gen. XXXVIII, 7, 10.

Pharaonem & Aegyptios Deus ultricibus rubri mariis undis submersos delevit, postquam in eosdem antea horrenda varii generis judicia ediderat, Mose & Aarone ministris. Exod. V-XV.

Nadab & Abihu, filii Aaronis, ob thymiam alieno igne, obstante expresso Dei mandato, oblatum igne consumuntur ultore, e columna nubis & ignis erumpente. Lev. X.

Mirjam, Aaronis soror, plaga lepræ ἀτιλογίας suæ pœnam luit. Num. XII.

Turba Corachi ob seditionis crimen terræ hiatu absorbetur. Num. XVI.

Israelite Deo & Mōsi obmurmurantes diversis temporibus modisque repentina morte absilmuntur, immo ad unum fere omnes, quotquot annum ætatis vigesimum superaverant, e speciali Dei iudicio moriuntur in deserto, a Cananæa hæreditate exclusi.

Cananeæ gentes ob consummatam peccatorum mensuram Dei vindicis jussu extirpantur. Lib. Jof.

§. II.

Supersedeo recensione horrendorum Dei iudiciorum, in refractarium populum Israelicum generatim, partim etiam speciatim in certas familias ac personas, inde a constituta theocracy & reipublica primordiis, usque ad ejusdem finem & excidium editorum. Horum enim exemplis sacrum codicem abundare, nemo nescit. Tractavit hanc materiam ex instituto, & non solide minus, eruditeque, quam pie, Cel. Theologus Gießensis, D. IO. HENRICUS MAIUS in *Oeconomia iudicio-*

C

rum



SECT. I. DE SENTENTIA VERA
rum Dei diversis tonis per utriusque testamenti tempora & pe-
riodos deductam.

§. III.

Et quid omnium temporum historia, non solum ecclesiastica, sed civilis etiam, est, nisi locuples testis & interpres uti beneficiorum Dei singularium, ita etiam judiciorum ejusdem tremendorum? Nec inter mortales, quotquot Dei providentiam credunt ac reverentur, & per ætatem aliquam viarum Dei experientiam habent, erit ullus, qui non varia vindictæ divina exempla, etiam singulare in certas familias & personas edita, quasi in numerato habeat.

§. IV.

Et quis, nisi fidei & reverentiae erga summum Numen plane expers, collatis illis judiciis, quæ pandectæ sacra Deo vindici adseribunt, crederet casu fieri, quæ exemplis istis priscis & bibliis adeo sunt parallela? Certe non raro ea videoas iustitiae vindicis documenta, quæ ipsos etiam impios, a reverentia Dei alias alienissimos, in stuporem rapiant, adeo ut vel inviti manum Dei ultricem agnosceré & revereri cogantur. Nec raro evenit, ut iisdem homines ad malefactorum suorum agnitionem adducti sint. Quo in genere notum est exemplum imperatoris Mauriti; quippe qui suorum cæde a Phoca in ipso conspectu excretiatus identidem protulisse dicitur illud Davidis: *Justus es, Domine, & justa sunt iudicia tua.*

§. V.

Doctrinam universam de iustitia Dei vindice speciatim egregie illustrat *jus & pœna talionis*, cuius fundamentum, seu dictamen, habet ipsum jus naturæ. Unde enata sunt illa axiomata:

Nec lex iustior ulla est,

Quam necis artifices arte perire sua. Ovid.

Item: *Per quod quis peccat, per item punitur & idem.*

Quare

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

19

Quare restat GODOFREDUS Not. in Novell. CXV. c. 3. §. 13.
Est hoc in pœnis irrogandis, quoad eus fieri potest, servandum, ut pœna delicto simili imponatur, que delinquentia animo speciem delicti maxime representet, ut per ea quisque maxime puniatur, per que vel in quibus peccaverit. Et hanc ipsam talionis penam, quia juris naturalis est, etiam in politia Judaica sancitam & declaratam videoas Exod. XXI, 24. seqq. Lev. XXIV, 19. seq. Deut. XIX, 18. seqq. Conf. Num. XXXV, 19. Huc refer illud ipius Servatoris nostri Math. VI, 1, 2. *Nolite judicare, ne judicemini. Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitini, & qua mensura metimini, ea reddetur vobis.* Item illud Apocalypses c. XVI, 5, 6. *Justus es, Domine, qui es, & qui eras, & qui eris, quia bœc judicas: quia effuderunt sanguinem sanctorum & prophetarum, sanguinem bibendum eis dedisti: digni enim sunt.* Vide hanc materiam ex instituto ante aliquot annos tractatam in Dissertatione peculiari de Pœna talionis, præcipue exemplis bibliis illustrata.

PROPOSITIO VI.

Justitia Dei vindex probatur 6. ex doctrina sacrificiorum, expiationis seu satisfactionis causa oblitorum.

ILLUSTRATIO.

Scopus & effectus Sacrificiorum præcipuus erat expiatio. Expiatio autem locum habere nequit, nisi supponatur justitia Dei vindex peccatis laesa, ideoque satisfactionem exigens & vicariam admittens. Conf. Hebr. X. 26, 27. Hiob. XXXIII, 24. sed de hac materia ex instituto aget Dissertatione V.

PROPOSITIO VII.

Justitia Dei vindex probatur 7. ex
C 2 offi-

20 SECT. I. DE SENTENTIA VERA
officio Christi sacerdotali, & opere e-
jus hilastico, seu ex ejus satisfactione.

ILLUSTRATIO.

Opus Christi hilasticum, seu ejus satisfactionio, itidem supponit justitiam Dei vindicem, utpote quæ sine hac ne recte cogitari quidem potest. Christi vero Satisfactionem vicariam esse doctrinam maxime fundatam & immotam veritatis, Dissertatione VI. pluribus demonstrabitur.

PROPOSITIO VIII.

Justitia Dei vindex probatur, aut illustratur 8. e magnitudine divini amoris, missione & traditione filii unigeniti demonstrati, & conjuncti cum abundantia amoris, ab ipso Christo exhibiti.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Amorem Dei in missione Filii, & ipsius Filii in opere redēptionis declarari videoas, ut summum & intenſissimum. Vide Jo. III, 16. Rom. V, 8. VIII, 35.-39. Tit. III, 4. 1 Jo. IV, 9, 10. Jam vero si negatur justitia Dei vindex, quæ satisfactionem necessario exigat, simul concidit redēptionis necessitas. Hac autem negata, aut obscurata, negatur, aut obscuratur, gloria divini amoris, per missiōnem & traditionem filii, tanquam documentum certissimum & inestimabile, declarata.

§. II.

Eadem inde negatio, aut obscuratio, emerget in necessitatem adventus, officii, seu operis, & mortis Christi. In his enim

enim Christum summum summi sui erga nos amoris documentum dedisse, quis dubitaret? Et quis non ideo suum faceret illud Pauli: *Christus me amavit, & semet ipsum tradidit pro me.* Gal. II, 20. Item: *Christus nos amavit & semet ipsum tradidit pro nobis in oblationem & victimam Deo in odorem bona fragrantiae* Eph. V, 2. Quod si vero neges justitiam Dei peccati vindicem, cui faciendum fuerit satis; certe tollis primarium *τυραγωστικόν*, officii, & morris Christi causam, ipsamque ejus necessitatem. Hac autem sublata negatur, certe enervatur ac vilescit, gloria atque abundantia amoris Christi erga nos. Quanta enim erit amoris emphasis ac demonstratio in te, quæ non sunt necessaria, sed jure, dominio ac justitia Dei salvis intermixti potuit? Et quanta quæsto Deo non tribuenda esset iniquitas in ipsum Filium innocentem, si nulla sponsionis ac acerbissimæ satisfactionis necessitas statuatur? Certè exemplum patientiæ externum etiam martyres præbuerunt, & quidem in divagationibus, si non gravioribus, si externa tantum spectes, tamen diuturnioribus: atque ita propter solum exemplum non opus fuisset morte Christi.

PROPOSITIO IX.

Justitiam Dei vindicem o. tacite comprobat ipsum conscientiæ dictamen, divinitus nobis insitum.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Quemadmodum in conscientia tacita est apologia, quæ benefacta consequens eam suo modo tranquillat; ita in eadem non minus adeat *ναθηροցία*, latens accusatio, quæ e malefactis, quorum sibi conscientia mens est, resultans, eam torquet & interturbat e justi judicij metu: quemadmodum testatur Paulus

22 SECT. I. DE SENTENTIA VERA

Rom. II, 15. Item c. I, 32. qui Dei δικαιομένα [h.e. justam & adæquatam] judiciorum, seu poenarum, dispensationem] norunt, quod illi, qui talia faciunt [uti narratur in antecedentibus] morte digni sunt: qua autem? certe aeterna: quandoquidem non ignorabant scelerati, morti temporali etiam optimos quoque esse obnoxios. Et mortis nomine poenas intelligi, res ipsa indicat. Nec ad eam avertendam sufficere crediderunt solam ponitentiam per se, sed ad expiationes irati numinis confugerunt. Arque ita a conscientia morsibus, tanquam latentis intra se iudicii divini documentis, immunes haud fuerunt.

§. II.

Et hoc est, quod comprobat experientia scilicet uniuscujusque conscientiam, ex justitia vindicis sensu, arcane instinetu ad Dei tribunal trahi, ita ut illud reformidet. Qui sensus, etiam si excussus est, identidem tamen recurrere solet. Id quod cum mortales ad unum omnes, quotquot exuta humanitate non plane obbrutuerunt, sibi natura insitum deprehendant, id ipsum merito illis annumerant principis, que νοεῖσθαι & νυπίας δόξας appellantur. Hoc arguento moti barbari Melitenses Paulum vincitum pro homicida habebant; cum viperam lethiferam de manu ejus pendente viderent, rati hunc casum divini iudicii effectum esse. Act. XXVIII, 4. Eodem respectu ad Deum peccatorum vindicem habitu Horatius ait:

*Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pena clando.*

§. III.

Quod si exempla eorum, qui, ex arcane justitia vindicis sensu, conscientia morsibus laborarunt, in sacris litteris quæras, primi omnium nobis occurrunt protoplasti; utpote fuga & quæstis latebris haud obscure testati, se ex dictamine conscientia Deli iudicium reformidare. Et quos non sensit terrores David? Certe psalmi ejus metanoetici, aliquæ nonnulli, fatis

ECCLESIAE EVANGELICÆ.

23

Satis superque produnt, non fuisse effectum corruptæ imaginatio-nis, aut inania terriculamenta, quæ de angoribus suis, cruce-tui infernali simillimis, prodidit. Quid? quod hos i-psos identidem expresse ad justitiam Dei vindicem referat, ideo inter alia Psalm. XXXVIII, 1, 2. precatus: *Domine, ne me cor-ripias in furore tuo, neque in ira tua castiges me!* &c. Confer Psalm. CII, 4, 5. & vide exemplum Jechiskie parallelum. Jes. XXXVIII, 17. uti & in antecedentibus. Atque ita experitur con-scientia territa, quid sit, sibi thesaurum iræ cumulaſſe in diem ~~δικαιορίας~~ tremendum Rom. II, 11. quid sit, jam judicatum esse per Dei ~~δικαιουμα~~, ac manere sub ira Dei, seu iram Dei ma-nere super ~~ἀπίστω~~. Jo. III, 36. Confer exemplum Jobi c. VI, 4. Cer-te anima hoc modo afflita nullo modo adduci poterit, ut eredat, se sine satisfactione apud Deum esse in gratia; poti-us ejusmodi gratia præcones pro consolatoribus mendacii & vanitatis esset habitura Job. XVI, 2.

PROPOSITIO X.

Justitiam Dei vindicem IO. compro-bat mos omnium gentium universalis ac religiosissimus, in placando irato numine occupatus.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Huc præcipue pertinent profanarum gentium sacrificia, inter quæ eminebant duo haec genera: unum *ἱλαστήριον, piacu-lare* ad ipsum Deum relatum, nimirum expiadum & homini-bus reconciliandum: alterum *ἄυγεντον* seu *καθάρισμα, lustrale*, cuius objectum certa erant peccata, quæ eodem expiabantur, ad Dei iram averrendam. His sacrificiis & placitis gentium o-mnium, quotquot sub sole fuerunt unquam, sacra abundasse,

nemo, qui in residuis ipsarum scriptis vel mediocriter tantum versatus est, ignorat, nedum negat.

§. II.

Nec ignotum est doctorum cuiquam, idolomaniam istorum hominum ad ipsam quoque $\alpha\pi\theta\varphi\omega\pi\alpha\theta\vartheta\sigma\lambda\alpha$, et si humanæ naturæ horrorem incutit, esse progressam, justitiae vindicis placamento in ea præcipue quæsito. Vide EUSEBIUM L. IV. *Præparat. Evangel.* c. XVI. ubi is ex auctoribus aliis probat, $\alpha\pi\theta\varphi\omega\pi\alpha\theta\vartheta\sigma\lambda\alpha$ immanitate plurimas gentes irreligiose fuisse delectatas. Antiquissimam esse eandem, vel ex eo liquet, quod Deus populum Israëliticum ex Ægypto eductum severiore lege ab impietate ista nefanda avocavit.

§. III.

Jam si in moris istius religiosi generatim in justi & irati numinis expiatione positi, originem inquiras primam, duo ejus principia deprehendimus: unum in *instio conscientie dictamine* de justitia sanctissimi Dei vindice & peccatoribus perse intollerabili; alterum in *subsidio traditionis Noachice*, per commercia cum populo Israëlitico plurimum illustrata & confirmata. Quod principium ipsam quidem revelationem divinam & institutionem pro fundamento habet, at a gentibus sibi relictis turpiter ignoratam. Nucleo enim coelestis veritatis amissio in $\iota\theta\epsilon\lambda\alpha\theta\vartheta\sigma\kappa\epsilon\alpha$ sua circa corticem insinaverunt profani, exemplo Abrahami & Jephæ, perperam intellecto, ad $\alpha\pi\theta\varphi\omega\pi\alpha\theta\vartheta\sigma\lambda\alpha$ abusi.

§. IV.

Verum enim vero quidquid isti circa veritatem a majoribus traditam & circa ejusdem applicationem deliraverint; nobis ad rem præsentem sufficit, doctrinam de justitia Dei vindice, sed placabili, omnium gentium institutis comprobari. Et hinc merito concludimus, hanc veritatem esse notionem, quæ ipsi naturæ humanae quodammodo insita, per traditionis viam ad ipsam Dei revelationem & Noachicam institutionem sit referenda.

SECT.

(25)
SECTIO II.

DE SENTENTIA PETRI POI- RETI FALSA.

Σύνοψις.

Poireti opinio est speciosa quidem §. I. In cuius usu is extremum unum fugiens in alterum incidit. §. IX.
Et aliquis scriptura dictis perperam applicatis exornata §. II. Nec de concurso Dei circa malum recte sentit. §. X.
Ac pluribus proposita §. III.-V. In his vero placitis suis negatione satisfactionis & justificationis forensis pro scopo habet §. XI.
Sed sepositis, que in ea vera sunt. Sed in iis male sterit, praesidiis & argumentis plane deficiuntur §. XII.
§. VI. Unde etiam de Socinianorum causa
Est falsissima, speciatim in eo, quod Deus non nisi ut medicus circa peccatum & peccatorem versetur §. VII.
Unde liquet, quanis defectibus Poireti hermeneutica scateat. §. VIII.

§. I.

Hypothesis Cl. Auctoris speciosa est, in Deo non aliam esse justitiam, quam talem, secundam quam is homines lapsos, si monstratam salutis viam ingredi detrectent, miserix sua, ut in tempore, sic etiam aeternum, relinquat, &c, ut ab ea liberentur, infusa gratia absolutam puritatem requirat. Justitiam vero peccatorum vindicem negat. Vide Oeconom. Lib. II. c. XVII. p. 569. *Quod homines positive a Deo puniantur, & ad infernum dammentur, falsum est: quippe quos sibi tantum relinquit quales sunt, & nullatenus attingit, ut diximus.*

Pag. 570. *Iustitiam divinam tum Adamum, tum successores eius per se & positive punire, falsum est. Illi enim hoc ipso jam puniuntur, quod Deus nihil in facit, sed tum fontem, tum rivulos, quales & sunt & alii ab in descendunt, relinquit.*

Pag. 658. *Justitia Dei iustum esse dicebat, postulabatque hominem rebellem propter iugrati animi crimen, propter peritiam obstinatam, propterque indignitatem suam, sibi & miseriis*

D

suis

SECT. II. DE SENTENTIA

suis relinqui. Item p. 659. ubi iustitiam Dei punitivam vocat inventum scholasticorum infelici sidere natum, principium exuditatis, inflata Socinianorum tibia eandem absurditatis postulans.

Pag. 660. Si hominem sibi met ipsum relinquat, hæc ipsa omnium maxima jam erit calamitas, quæ ei accidere queat; sic enim homo suis sibi tortor erit, & inferni tum spiritualis tum corporalis infelix scaturigo & fabricator.

Pag. 524. In scriptura Deus PUNIRE dicitur, quando res ita evenire finit, quemadmodum homo eas extra ordinem a Deo præstitutum voluit & ordinavit. - - Sic ut Deus NON MAGIS PUNIAT, QVAM MEDICUS, qui ab egroto sibi temperare nolente, & medicinam sibi benigne præparatam resuente, discedit, eumque obstinationi & intemperiei sue tandem relinquit. Homo se ipsum proprie punit, non Deus hominem, quemadmodum non Deus hominem, sed homo solus se ipsum proprie & perdit, & reprobat & damnat.

§. II.

Et hæc POIRETI sententia eo est speciosior, quo convenienter videtur duobus illis Scripturæ locis, quæ allegat, ita pergens: *Perditio tua ex te, O Israël; tantummodo in me auxilium tuum.* Hos. XIII, 9. *Malitia tua puniet te & aversiones tuae caſfigabunt te: sciesque & videbis malum tuum atque amaritatem inde effe, quod Dominum Deum tuum dereliqueris, in me vero nihil effe, unde tibi sit timendum.* Vide eundem in sequentibus, §. XVII. ubi verba Dei, quæ ad pravertendam defectionem in paradiſo prolata, præter proprietatem præmonitionis & prædictionis etiam poena notionem habent, de sola admonitione & prædictione interpretatur. *Scriptura, inquiens, totidem ſolum admonitiones affert, quibus Deus ſequelas quasdam naturales peccati indicat.* n. r. λ.

§. III.

Nec prætermittendus hic est locus, qui habetur L. II. c. XVIII. p. 586. ubi repetita sua hypothesi sententiam ecclesiæ evange-

vangelicæ absurdissimi erroris postulat: *Hec quidem, inquiens: vera & propria est idea JUSTITIAE ULTRICIS DEI, ex qua emendandus est error communissimus eorum, qui volunt a divina justitia penas positive infligi, aut ab ea certam penarum quantitatem exigi, qua placari debeat, ita ut nullam inde partem remittere vel possit vel velit: quo sit, ut homines ad murmur & impatientiamque proruant, utque de Deo opiniones impias ac terribiles habere incipiunt.* n. r. l. Item p. 587. *Quanquam Deus positive non puniat, peccatoribus tamen eo nomine melius non erit, & nihil oscuius penas ferent suas: illi namque semet ipsi sponte sua puniunt non levius, immo gravius etiam, quam vulgo a Deo puniri creduntur; vereque dum a Deo alienati sunt, malorum omnium ipsi sunt origo, ita ut nullum unquam bonum vel sibi dare, vel usquam reperire possint, posteaquam feso male addixerint. Et hic quidem divinae justitiae consensus indirectus adest, interveniente regula hac justissima: FIAT SINGULIS, QVOD SIBI QVISQUE ELEGERIT.* Conf. omnino p. 52, ante fin.

§. IV.

De concursu Dei circa arcessitam istam ab homine pœnam, seu miseriarn, ibidem paulo post ita sentit: *Pena istius respectu triplex saltē actione in Deo concipi potest, vel ut eam totam tollat, vel ut totam accidere sinat, vel ut sequelas ejus effetaque suspendat, quo homini tempus interim detur ad se redeundi & sequere convertendi: ac sine bac quidem suspensione nec mundus, nec homines jam subsistere aliter possent, quam sub forma inferni, uti tum videbitur, cum malum penitus a bono separatum sibimet ipsis jure relinquatur, nullo amplius bono admixto.*

§. V.

Quandoquidem vero POIRETUS non nescit, hypothesi sue quamplurima scriptura loca obstat, ipsorum dæwotiv p. 660. his enervatum it verbis modisque: *Non arbitror in ob-*
jectionum numero ponи debere formulas quasdam loquendi a

Scriptura Sacra frequentatas, quas si sensu proprio accipere velis, nulle erunt animi humani motiones tam virtiosæ, quæ Deo non attribuantur. Nescio, utrum jam ante monuerim, quo sensu Deus dici possit punire, videlicet, quando vis ac potentia divina, quæ creaturis ab initio indita, perpetuo in isdem manet, quæque essentiam earum activitatemque constituit, a lumine atque amore desituta activitatis sue vires in semet ipsam exercet. Quando, inquam, Deus potentiam hanc activitatemque divinam, [quæ ab ipso est] sibi relinquit, neque suam ei amorem luminosum impertit, tunc dicitur punire. Quæ loquendi ratio a propria significatione deflebit, indicatque non quidem modum aliquem agendi positivum, quo Deus erga creaturam utatur; sed cessationem saltem bonitatis divine agere cessantis, quam cessationem malorum omnium, que homo activitate sua tenebrosa maleque ordinata sibi met ipsæ fabricat, conglomeratione subsequitur. Vide eundem Tom. I. p. 211. & 561. & alibi: quorum locorum cumulatione supersedeo, utpote supervacua.

§. VI.

Hæc haec tenus de sententia POIRETI: in qua ne, quod verum est, cum falso confundatur, ab hoc istud merito distinguimus.

Verum est, hominem gratia contemtorem a Deo juste deserit, & sibi ipsi suæque miseria relinqui.

Verum est, hominem sibi ac miseria suo naturali relictum, in magna versari calamitate, tanquam in inferno aliquo.

Verum quoque est, hominem esse sui ipsius tortorem, siue exitii & ipsius inferni quasi fabrum, atque ita hoc respectu illum semet ipsum punire.

Hæc & hujus generis plura verissima sunt, sed nequaquam in obscurationem, nedum negationem, eorum, quæ non minus vera sunt, erant abripienda, uti fecit auctor doctissimus.

§. VII.

§. VII.

Falsum itaque est in sententia POIRETI, Deum, apud peccatorem & circa peccata tantum medici obire partes, seu *NON MAGIS PUNIRE, QVAM MEDICUM*, qui ab egroto sibi temperare nolente & medicinam sibi benignè preparatam respuente, discedat, eumque obstinationi & intemperiei suæ tandem relinquit. Siccine vel sexcentena Scripturæ loca de Deo judice & justo ejus judicio ac poena nullius sunt numeri ac ponderis? Siccine loca, qua de gratia & praxi Dei medicinali agunt, iis, qua auctoritatem & severitatem ejus judicialem sancte reformandam nobis describunt, opponenda sunt, istis plane negatis, aut enervatis?

§. VIII.

Et quam inepta non est Auctoris nostri hermenevtica, qua is locorum, qua de judicio ac poena agunt, significationem propriam ac emphasin plane it sublatum? Deus tempore Abrahāmi præ aliis omnibus regionem Cananæ pentapolitanam deprehendebat corruptam, adeo ut profigata incolarum malitia justæ poenæ jam in tempore infligendæ esset matura. Quomodo autem eam inflixit? Num per solam desertionem, ut ipsos tantum sibi suæque miseriæ, qua per se in peccato & *deroria* est, relinqueret? Nequaquam. Positive exseruit judicium suum, flammæ ultricis supplicio in Numinis sui contemtores *deroris* immisso. Gen. XIX. Et quis unquam vidit bonum justumque judicem, qui existimaverit, defunctum se fati superque esse officio suo, si fures, raptore, latrones, incendiarios, aliosque hujus generis facinorosos, sine positiva poenæ irrogatione sibi ipsis reliquerit suæque conscientiæ, ratus, hanc, ubi excitata fuerit, tormentorum satis esse habituram? Quam ineptum judicium quo minus agitet justus judex in foro humano, jura obstant & leges; jura ipsius naturæ, & leges bonæ civitatis, istis conformes. Jus vero naturæ ipsius Dei est, a

30 SECT. II. DE SENTENTIA

quo natura & quidquid in ea naturalis boni residuum est, dependet. Quare a Deo, tanquam justissimo & supremo judice ejusque judicio, alienum esse nequit illud, in quo judiciorum, quæ ipse constituit & comprobavit, vicariorum, seu ipsius judicio subordinatorum, nervus præcipuus consistit. Taceo nunc reliqua veræ sententia præfidia & argumenta, quæ supra Sect. I. in medium producta sunt, eum istorum applicatio cuius sit facillima, ita ut nunc esse possim brevissimus.

§. IX.

Nec quidquam juvat, potius premit oneratque, POIRETUM, prætextus difficultatis & absurditatis, quam propria locorum de judicio & poena significatio pariat; quando: *Non arbitror, inquit, in objectionum numero pgnī debere formulas quasdam loquendi a Scriptura Sacra frequentatas, quas si sensu proprio accipere velis, nullæ erant animi humani motiones tam viciose, quæ Deo non attribuantur.* Manifestum enim est, ipsum confundere sensum proprium, qui in Deo est eminentissimus & perfectissimus, cum imbecillitatibus istis, quarum ideas locutiones istæ judiciales, quando de hominibus, iisque privatis, seu judicium haud agentibus, usurpantur, nobis imprimere solent. Et in hac confusione Auctor ad alterum abit extremum. Nam, a judicio Dei imperfectiones & aberrationes humanas sejuncturus, ipsam ejus ac justitiae vindicis indolem plane negat, ignorans, in extremorum istorum medio esse veritatem, ab istis alienissimam, ut supra Sect. I. descripta est.

§. X.

Nec recte se habent, quæ POIRETUS loco §. IV. allegato de concursu Dei circa arcessitam hominis poenam, seu misericordiam, tradit. Non enim tollit eam Deus, uti is existimat, sine interventu & applicatione satisfactionis. Nec eam torani accidere sinit, tanquam otiosus spectator, sed circa eam versatur ut

PETRI POIRETI FALSA.

13

ut justus judex, vere & positive puniendo: et si positiva illa
pena immisso, pro nostra intellectus imbecillitate, in exemplis
quam plurimis, & generatim in exitio aeterno, obscurioris no-
tionis sit, captum nostrum transcendens, eidem tamen nequa-
quam repugnans.

§. XI.

Scopus Auctoris in justitia Dei vindice secundum genui-
nun ejus sensum negata est negare necessitatem satisfactionis
forensis & proprietatem justificationis forensem, quemadmo-
dum in progressu harum Dissertationum pluribus videbimus.
Utrum vero iste error hunc, an hic istum, pepererit in ani-
*mo ipsius, quis, nisi solus *καρδιογνώστης*, definiet? Probabile*
quidem omnino est, ipsum primum concepisse errorem de
justitia Dei vindice in sensu forensi neganda, eaque negata per
necessariam consequentiam ad negationem satisfactionis & ju-
stificationis forensis esse progressum: sed fieri tamen potuit,
ut ex prajudicio impedire sanctimonia primum negaret sen-
suum satisfactionis forensem, hoc autem negato pergeret ad co-
natum subvertendi illud justitia vindicis fundamentum, cui do-
ctrina illa superstructa est. Nec huic errorum generationi ob-
stat tractationis series: siquidem errorem, qui ex alio est
prognatus, ideo priori tradere potuit loco, quia is in serie sy-
*stematica *περὶ τὸν* illud *ψεῦδον* præcedit.*


§. XII.

Quam vero nudus Auctor fuerit a præfidiis in adstruen-
do errore suo & in destruendo vero dogmate, ex allegatis il-
lius locis videoas. Nec alibi in universo ipsius Systemate va-
lidiora reperiuntur. Quia *advocata* et si laborabat, pro sua tam-
en erga se ipsum fiducia sibi visus est methodum demon-
strationis mathematicam adhibuisse. Nec sola est vana hac
persuasio, sed adjunctam habet acriorem vera sententia infecta-
tio-

32 SECT. II. DE SENTENTIA PET. POIRETI FALSA.
tionem. Non enim dubitavit eam vocare inventum schola-
sticum, infelici fidere natum, principium crudelitatis, erro-
rem communissimum u. r. λ. Quæ, cum justæ ἀποδεξίαι serie,
quam habet Sectio I. collata, quam indigna sint, & quantam
prioris doctrinæ ἀγνωστιαν in viro alias doctissimo prodant,
quis bona doctrinae mentis lector non videt & miratur?

§. XIII.

Opera quidem esset pretium, ut etiam Socinianorum cor-
ruptelæ strophæque nunc ad demonstratæ veritatis censu-
ram & examen vocarentur. Sed hoc non permittit institu-
ti, Poiretiani Systematis consideratione circumscripti, ratio
& brevitas meta, Dissertationibus Academicis præfixa. For-
tasse dabitur alia occasio, qua tumidis illis vanisque spiriti-
bus post tot animadversiones alias denuo dici possit, quod res
est, ineptiis ipsorum dialecticis, potius ἀλόγως, in apricum
productis. Vix enim alios Socinianis magis ἀλόγως de rebus
divinis philosophari deprehendas, et si corruptam rationem
idoli instar colant. Interea tamen crediderim, veritatis ἀπό-
δεξια sect. I. ita esse instructam, ut inde satis propugnaculi ad
rerundenda Socinianorum tela desumi possit. POIRETUM
vero in doctrina de Deo & aliis nonnullis, quas Socinianum
virus attentavit, Socinianis nequaquam annumero: doleo ta-
men, ipsum in aliis maximi momenti dogmatis ipsorum
partes tueri, saltē istorum armis pugnare, nec
tradere saniora,



73 5225

ULB Halle
002 698 757


3



St

Nb 18

Mt



28

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM
SECUNDA
DE
JUSTITIA DEI,
PECCATI VINDICE,
TANQVAM SATISFACTIONIS
FUNDAMENTO:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die *Julii hujus M DCC XIX. anni,*
PRAESIDE
JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.
Placidæ συνθελογίαν disquisitioni
submittit
RESPONDENS
RIDERICUS WILHELM. WENDEL
MAGDEBURGENSIS, S. THEOL. CULTOR.

HALAE SAXONUM,
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFFI, Acad. Typ.